



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Obedientia & humilitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

mihimunitior via sit, & certius ad Dei gloriam  
omnia conficiantur. Primum vehementer oro ali-  
quem ex Theologis designari lectorem simul, & cen-  
sorem operis uniuersi, qui sedulo annotet, in char-  
taq; separatim excerpit, quibus in locis mutatione  
aliqua opus esse videatur. Mihi non displicebit si ex  
Patrum iudicio quaedam isthic in margine corrigantur  
priusquam liber aliis exteris communicetur.  
Quod si multa ex opere tollenda, vel integra pagina  
refecanda viderentur, cupio ea de re statim admo-  
neri, quia non dum liber in publicum prodiit, nec  
prodibit fortasse ante menses aliquot, ut postea di-  
cam. Ex qua nostrorum censura, & diligentia in  
relegendo libro hunc quoq; fructum colligam, spero,  
ut admonitus ab illis in posterum sciam, qua mihi  
potissimum in reliquis vel obseruanda, vel cauenda  
esse videantur. Liberum certe admonitorem expe-  
cto, atque desidero, paratus non solum patienti, sed  
etiam alacri, gratoque complecti pectore quicquid  
contra meam scriptionem fuerit iudicatum. Quod  
si ex hoc qualicumque gustu futuri operis iudicium  
fiet, non opera pretium videri, ut diutius ego in hoc  
pistrino verfer, qui coram Deo, & Paternitate tua  
profiteor, me ad hoc tantum sustinendum opus mul-

Censores expe-  
rit liberos.

Obedientia, &  
humilitas.

tis



tis modis indignum, ac imparem esse, praesertim si cum aliis doctioribus Theologis conferar; nemo suspicetur quæso, me grauatim hoc accepturum esse. Imo vero præclare mecum actum iri putabo, si post hunc librum primum editum cessare iubeat, & alius tradam lampada, qui rem tantam pro dignitate velint, & possint absoluerè. Nec enim ignoro alios vocationis meæ proprios esse labores, quibus maiore fortasse cum fructu, gustuque spiritus hoc tempus, quod molestissimis studiis tribuo, possim accommodare, quando ita obedientia sancta permittet.

*Probatum ma-  
gnopere opus.*

Probatum est ex merito vehementer opus cū vbiq; alibi, tum in vrbe Doctis, ipsiq; Pontifici, qui solamen exhausti laboris, quod Canisius vnicum ad corrigendam suam (sic ad Polancū scripsit) innouandamque vitam expetiuit, plenariam indulgentiam summa voluntate concessit. Aderat in Vrbe Cardinalis Hosius, qui perlecto opere, vt primum Polancum vidit, in maximam eius commendationem excessit. Plurimum à doctrina, perspicuitate, modestia, iudicio, prudētiaque, ab ingenio, & acumine commendabat; eloquentiam item ac stylum summè probabat; sed supra omnia pietatem admirabatur, quam elucere illo

in